

punire velle, satis multa, eaq; atrocias pœnarũ passim existent exempla in iis, quos ob peccata castigauit, & puniuit, quæ in conspectu nobis esse voluit, vt:

- 1, in primis parentibus ob peccatum è Paradiso reiectis.
- 2, in primo mundo, aquis diluuii planè absorpto.
- 3, in Sodomitis, sulphure, & igni cælesti exustis.
- 4, in populo Israel, ob recidiam toties ab eo flagellato, &c.

Quæ quidem exempla horribilia illa omnia, cum aliis infinitis propterea Scriptura commemorat, vt quàm abominabile coram Deo sit peccatum, quantoq; illud odio prosequatur, tanto melius intelligamus.

At verò, si ad exempla, & pœnas iam recitatas, exemplum, & PASSIONEM IESU CHRISTI Filii Dei vnigeniti, quam ob peccata nostra in ipsum deriuata, sustinuit, conferamus, tum demum quid de peccato Deus in cælis iudicet, & quam ingenti in illud ira exardescat, omnibus apparebit. Ideo Ecclesia historiam hanc in sanctis cœtibus decantans, ita eam incipit:

*O Mensch beweine dein sünde groß / darumb Christus / etc. Necessè enim est, vt Bernhardus ait, profunda fuisse nostrã vulnera, quæ non nisi vulnerib. Filii Dei sanari potuerẽ.*

Quis enim, vt rem paulo altius consideremus, erat Christus? Annon ipse Dei Filius? annon vnigenitus? in quo Patri complacitum? Secundum Deitatem ipsa iustitia? & qui secundum humanitatem sine peccato natus, & legem nunquam transgressus erat, Deumq; nõquam offenderat? quem etiã infestissimi ipsius hostes licet prouocati, tamen de peccato arguere non poterunt? in cuius ore dolus nunquam est repertus? Tanta tamen ira Deus Pater in illum exarsit, tantisque eum subiecit pœnis, vt post mundum conditum, seueriores pœnas, nemo vnquã senserit. At quæ huius rei causa? Illa nimirum, quod peccata nostra in se susceperat, seq; pro nobis sponsores stiterat.

Quid autem? An non Filii sui memor, de rigore suo Deus Pater aliquid remittere potuisset? Certè Christus ipse, vt homo, in angorib. cõstitutus repetita aliquoties oratione id à Patre